

mum tanquam imaginem invisibilis Dei esse
 diligendum. Ita id quod nemo hominum in-
 telligit varii in varias opiniones trahunt. Qui-
 bus in rebus alii sua ingenia ostentant, alii suam
 autoritatem firmant, alii quærunt lucrum
 aliquod aut utilitatem, omnes autem iis qui-
 bus suas opiniones persuaserunt præesse conan-
 tur, sibi ipsis totius Scripturæ notitiam, &
 revelationem mysteriorum arrogantes. Homi-
 nes verò simplices & indocti, qui eunt quā itur,
 quo plus de magistrorum suorum doctrina &
 pietate credunt, eo sunt procliviores ad dam-
 nandos ad æternam perniciem omnes alios qui
 illos non sequuntur. Nam persuasi, se nulla
 ratione errare posse, coguntur omnes qui di-
 versum sentiunt pro pernicioseerrantibus judi-
 care. Sæpe audivi quod in Anglia (quæ regio
 sicut in multis aliis rebus, sic præcipue in reli-
 gionibus totius mundi compendium est) de
 ejusmodi fanaticis perhibetur, quod ita sui
 suarumque irrationalium opinionum sint
 amantes, ut audeant propter eas divinam pro-
 videntiam angustis Ecclesiarum suarum (quæ
 ex angustis cujuslibet penatibus constant) ter-
 minis circumscribere. Frequenter aliquis En-
 thusiasta cum neminem alium in suam opinio-
 nem pertrahere potest, putat se solum esse sa-
 pientem, solum pium, solum ad singularem
 Dei gratiam pertinentem, omnesque homi-
 nes necessariò condemnandos esse propterea
 quod cum illo idem non sentiant. Et quemad-

mo-